

possidet rem sequestratam, nisi, expressè id actum sit inter litigatores. *L. 17. §. 1. ff. Deposit.* sicut depositarius, qui non possidet, sed custodit rem depositam, eamque tenetur diligenter custodire, fructus colligere, & servare: vel si perituri sint, citatis partibus, vel si non sint presentes, cum licentia iudicis, vendere, & pretium cum re, finita lite, restituere. *L. 1. tit. 9. p. 3. L. fin. tit. 8. p. 3.* deductis tamen damnis, & sumptibus in rem sequestratam necessariis, vel utiliter impensis. *c. 2. de Dolo, & contum. Cl. un. h. t.* ad hocque habet actionem sequestrariam contrariam adversus victorem, ejusque heredes, ne ipsi suum officium sit damnosum. *L. 5. ff. Deposit.* Similiter victori, ejusque heredibus competit actio sequestraria directa, contra sequestrum, ut finita lite, vel sequestro, restitatur rem cum omnibus suis commodis. *L. 1. §. 24. L. 5. ff. Deposit.* Sequester voluntarius, & necessarius alicujus Castri habentis jus patronatus: & etiam sequester Pralaturæ habentis annexum jus presentandi, vel eligendi, cum sit administrator rei sequestrate, quoad temporalia, & spiritualia, sicut Pastor talis Ecclesie potest conferre, eligere, & presentare dummodo talium jurium incapax non sit. *Conz. ad Reg. 8. Cancell. Glos. 23. n. 17. Garc. de Benef. p. 5. cap. 6. ex n. 1.* contra alios variè sentientes.

123 Quæcumque res in controversiam, & custodiam cadens, potest sequestrari: sive res sit mobilis, sive immobilis, sive corporalis, sive incorporalis, sive spiritualis, sive profana. *L. 7. §. fin. ff. Qui satisfat. c. 15. de Judic. c. 8. c. 13. de Restit. spoliat. Cl. un. h. t.* Etiam persona libera potest sequestrari, ut mulier, si timeat de sævitiis viri. *c. 8. c. 13. de Restit. spoliat.* similiter sequestratur puella, si post matrimonium promissum exceptionem metus objiciat. *c. 14. de Sponsal.* Etiam beneficium sequestrari solet. *Cl. un. h. t.* ubi dicitur, quod si super beneficio contra ipsius possessorem, qui triennio non possedit, in petitorio, vel possessorio, una definitiva fertur in Curia Romana, etiamsi nulla fore dicatur, ipsius beneficii sequestratio per loci Ordinarium, non per Judicem litis, fieri debet apud personam idoneam, quam impediens, vel sequestratos fructus occupans excommunicatus, est, & si est de litigatoribus cadit à jure suo. Aliqui cum Angelo tenent, cadaver sequestrari posse: sed contrarium omnino tenendum est. *Ex Ecclesiastic. 7. v. 37. ibi: Mortuo ne prohibeas gratiam.*

c. 28. 13. q. 2. L. 6. C. de Sepulch. violat. L. 13. tit. 9. p. 7. ibi: Mueno yaciendo algun ome maguer fuesse debdor de otro, non lo deben restar, nin embargar, que no sea soterrado, nin lo deben fater deshonra en otra manera ninguna, que pueda ser. E si alguno contr esto ficere por razon de debda, d queriendolo deshonrar, faria muy gran tuerto a Dios, è a los omes, è a sus herederos, è seria temido de fater enmienda a bien vista del Judgador. Et Greg. Lop. ibid. notat, quod non debet sequestrari cadaver, nec ipso iudice jubente, & etiamsi debitum sit liquidum, sive non: sive habeatur per sententiam, vel instrumentum gaurentigium, sive debitum ex contractu, sive ex delicto procedat.

128 Variis modis cessat, & finitur, sequestrum: lite enim finita per sententiam, quæ transit in rem judicatam, & non est per appellationem suspensa, finitur sequestrum, & res debet victori restitui. Idem est, si præstetur sufficiens cautio à parte, cujus res est sequestrata. *L. fin. C. de Ordin. cognit. vel si existat conditio, sub qua facta fuit sequestratio, vel etiam veniente die, in quem res litigiosa est tradita sequestrari. L. 2. tit. 9. p. 3.* vel interveniente autoritate iudicis, si velit sequester ex iusta causa, & non aliter permittitur, deponere officium. *L. 5. §. fin. ff. Deposit.* si sequestratio in contumacem loco missionis sit decreta, & ipse contumax compareat, & refusus expensis caveat de iudicio sisti. Finitur sequestrum, sicut finitur missio in cuius locum subrogatum fuit. *c. 1. h. t.* Denique morte sequestris finitur sequestrum, nam cum fides, & industria personæ sit electa, non transit ad heredes. *Arg. §. 10. Inst. de Mandat.* Deinde si pars sequestrum passa aliunde non habeat, undè se possit sustentare, nec litis expensas solvere, ex re sequestrata sunt ei tribuenda alimenta, & sumptus ad litem, quia non exiguum præsumptionem pro se habet ex possessione.

TIT. XVIII.

De Confessis.

129 NON agitur in præsentia de Confessione Sacramentali, quæ cum non homine, sed Deo fiat, ad nullum omnino usum humanum, nec actum iudiciale deservit, nec adhuc in vim confessionis extrajudicialis. *c. 2. de Offic. Ordin. ibi: Quia non ut Judex scit, sed*

ut

ut Deus, adeo, ut etsi ipse Sacerdos confessionem revelet, nec ad torturam rei, nec ad aliam probationem deserviat. Nec item deservit schedula, in qua quis sua scripsit peccata: quia talis schedula sigillum Sacramentale, vel saltem naturale arctissimum inducit; & hoc modo magis consultitur reverentia Sacramenti. *Lug. de Penit. D. 23. n. 49.* Si verò ipse reus Sacerdoti suum delictum manifestet extra confessionem: sub protestatione tamen, quod illud dicat tamquam si sub sigillo confessionis esset manifestatum; tunc posset in aliquo casu Sacerdos de tali crimine deponere, cum non sit in confessione Sacramentali manifestatum. *Gomez Variar. 3. cap. 13. n. 9.* Et dicemus in Tit. de Penit. & remis. Agimus ergo in præsentia de confessione forum externum concernente, sicque communiter describitur. *Est asseratio ejus, quod ab adversario intenditur in iudicio, vel extra iudicium facta. L. 1. tit. 13. p. 3. ibi: Conocencia es respueta de otorgamiento, que face la una parte a la otra en juicio.* Confessio variè dividitur; nam alia vera, & expressa, alia tacita dicitur. *Vera, seu expressa est, quæ fit verbis, vel signis confitentis voluntatem palam declarantibus. Tacita est, quæ ex aliquo facto deducitur, vel à Lege fingitur.* Sic pro confessio habetur, qui in iudicio contumax est, quia non respondet, vel non respondet rectè. *c. fin. h. t. in 6. L. 1. 2. tit. 7. lib. 4. R. C. vel qui post litem contestatam à iudicio fugit. c. 4. de Præsumpt. ibi: Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere iudicium dilatoribus putat.* Deinde, confessio alia est simplex, alia qualificata. *Simplex est, quando quis simpliciter, & de plano adversarii intentionem confitetur. Qualificata est, quando per qualitatem adjectam restringit confitens adversarii intentionem, quam fateretur. V. gr. si fateatur, occidisse Titium, sed addat, id causa defensionis fecisse. Præterea, confessio præcipue dividitur in extrajudicialem, & iudicialem. Extrajudicialis est, quæ non fit in iudicio, vel etiamsi in iudicio fiat, non fit coram iudice competente. c. 4. de Judic. vel si coram arbitratore fiat. Iudicialis est, quæ fit in iure, vel iudicio coram iudice competente. L. un. c. h. t.*

130 Quando Judex interrogat reum de crimine, non legitime: quia non est diffamatus, nec sunt indicia ad semipleenam probationem, & hoc constat reo, vel saltem dubitat, non tenetur reus respondere: sed debet Judex reo ostendere pro-

bationem, vel indicia, quæ in actis contra eum reperiuntur; nec sufficit, si verbo tenus hoc ei dicat: nam reus non tenetur iudici in hoc credere. Etiam nomina testimonium contra ipsum deponentium sunt illi ostendenda, ut contra Salced. & Quierr. tenent. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 1. n. 4. & 5. & alii.* Quod si reo constet, iudicem legitime interrogare, tenetur utique respondere, & fateri delictum, cum Reipublicæ intersit, ne delicta maneant impunita. *L. 51. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. Sic D. Thom. 2. 2. q. 69. arti. 1. in corp. ibi: Respondeo dicendum, quod quicumque facit contra debitum iustitiæ, moraliter peccat: pertinet autem ad debitum iustitiæ, quod aliquis obediat suo Superiori in his, ad quæ ius prælationis se extendit. Judex autem Superior est respectu ejus, qui iudicatur: & ideo ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit. Et ideo, si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, moraliter peccat. Si verò Judex hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem juris, non tenetur et accusatus respondere. Sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere mendacium tamen dicere non licet. Reus de uno crimine accusatus non potest interrogari de alio crimine, de quo non præcessit, vel semiplena probatio, vel iudicium, vel infamia. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 13. n. 6.* nec regulariter potest Judex reum de sociis interrogare; nec illius confessio ipsis nocet. *c. 1. h. t. l. 16. ff. de Quæst. tum quia confessus, ut infamis, vel criminosis à testimonio repellitur: tum quia ad solatium, vel ob excusandum aliquomodo proprium delictum, vel ob spem veniæ creditur, alios complices nominare: potest tamen Judex reum de sociis interrogare in criminibus, quæ in magnum Reipublicæ dampnum cedunt, ut sunt crimina læsæ Majestatis, hæresis, falsæ monetæ, latrocinii, assassinii, sacrilegii, & similia, & in illis, quæ sine sociis non committuntur, ut stuprum, adulterium, sodomia, & in delictis occultis, & difficilis probationis, vel quando socii sunt diffamati, vel si consuetudo concedat interrogandi facultatem. *Menochius de Arbitr. cas. 474. ex n. 18.* Et hæc consuetudo in plerisque Regionibus viget. *Conz. in c. 1. h. t. n. 7. Barbo. ibid. n. 3.* Judex autem, etiam casu, quo possit interrogare, non debet hoc facere, certa persona assignata, vel nominata, v. gr. interrogando de Titio; quia hoc potius esset suggerere, quam inquirere.**

re-

re, sed debet in genere interrogare; nisi aliqua persona sit diffamata, vel jam reus confessus fuisset, se socius habuisset. Nam tunc potest Judex facere, ut eos nominet, ut contra eos procedat, non solum ad inquirendum, sed etiam ad eos citandos, & capiendos. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 13. n. 8.* Et reus debet jurare denuntiationem socii, & in tortura ipsam confirmare. *L. 21. §. 2. ff. de Testib. & postea extra torturam eam ratificare: non tamen creditur reo, si varius sit, vel si sit inimicus capitalis denunciati. c. 23. de Simon. vel etiamsi præter illud crimen sit aliunde inhabilis ad testificandum.*

131 Ut confessio judicialis effectum habeat, debet in se continere, quæ comprehenduntur in Versibus sequentibus: quos affert *Glos. in c. fin. h. t. & approbat L. 4. tit. 13. p. 3.*

1	2	3	4	5	6
Major, sponte, sciens, contra se, ubi jus sit, & hostis					
7	8	9	10		
Certum, lique, favor, jus, nec natura repugnet.					

Debet igitur fieri 1. à majore 25. annis. *L. 1. tit. 13. p. 3.* Confessio infantis, etiam accedente Tutore, est nulla; *arg. L. 4. ff. de in Jus vocand. Anton. Perez in Cod. h. t. n. 12.* facta ab impubere sine Tutore, non valet, facta verò cum Tutore valet: sed læso succurritur per restitutionem in integrum. *L. 6. §. 5. ff. h. t. L. 1. tit. 13. p. 3.* Si sit pubes, & habet Curatorem, non valet confessio sine Curatore facta. Si Curatorem non habet, dandus est ei Curator ad litem; alioquin confessio minoris est nulla, & sic servatur in nostra Hispania. *Paz in Prax. tom. 1. p. 5. cap. 4. n. 5. Gom. Var. 3. cap. 1. n. 64.* & tenetur talis minor respondere veritatem, sicut si esset major: si tamen læsus sit; restituitur. *L. 6. §. 5. ff. h. t. L. 1. tit. 13. p. 3. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 5.* Si pubes Curatore careat confessio extrajudicialis ipsi nocet, sed potest restitui. Si verò Curatorem habeat, confessio sine illius autoritate non valet. Si verò ipse Curator interveniat, valet confessio, sed potest minor, si læsus fuerit, restitui. *L. 6. §. 4. & 5. ff. h. t. Perez in Cod. h. t. n. 12. 2.* Confessio debet fieri sponte, & liberè, nec metu extorqueri. *c. 1. 15. q. 6.* nec fraude, vel spe immunitatis promissa à Judice: nec debet fieri in carcere, quando reus est injustè incarceratus; & si tunc fiat, non probat, sicut nec facta in tormentis, nisi extra tormentorum conspectum alia die ratificetur, & aliunde constet de corpore delicti.

L. 2. C. de Custod. reor. L. 5. tit. 13. p. 3. Paz in Prax. tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 12. n. 23. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 13. n. 14. & 15. Menoch. de Arbitr. cas. 269. Gom. Var. 3. cap. 12. n. 6. Si verò confessio fiat in tortura, quin sufficientia præcesserint indicia, aded est nulla, ut non confirmetur, etiamsi extra locum tormentorum ratificetur pluries, etiam quando indicia superaverunt, antequam confessus fuisset positus in libertate: imò etiamsi confessus ratificet confessionem cum juramento ad bancum juris, seu locum publicum Tribunalis: adhuc non præjudicat confitentem. *Menoch. de Arbitr. q. 84. ex n. 10. 3.* debet confessio ex certa scientia procedere: nam si procedat ex errore inculpabili, præcipuè si error sit facti, & probetur, potest ante sententiam revocari. *c. fin. h. t. L. 5. tit. 13. p. 3.* Idem est, si fiat, non ex proposito, sed calore iracundia, vel alia causa falsa. Si error sit crassus, & juris clari, vel facti recentis proprii, quæ non præsumuntur ignorari, nocet utique confitentem confessio, nec ei eam revocare licet.

132 4. Requiritur, quod quis contra se ipsum confiteatur, ut confessio probet. *L. 11. §. 1. ff. de Interrogat. ibi: Fides ei contra se habebitur. L. 4. tit. 13. p. 3. 5.* debet confessio fieri ubi jus est. *L. fin. ff. de Interrogat. in jur. faciend. L. 4. tit. 13. p. 3.* id est, coram Judice competente: non tamen est necessarium, quod Judex sedeat pro Tribunali: nam potest in sua domo confessionibus recipere, etiamsi non sit in loco judicii, præcipuè in nostra Hispania ex *L. 5. tit. 12. lib. 4. R. C. Et ibid. Acev. n. 28.* quidquid alii disputent, & sentiant. Et tam in civilibus, quam in criminalibus valet confessio in libello, vel in petitionibus, vel in positionibus, & etiam sine juramento facta. *Gom. Var. 3. cap. 12. n. 4. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 13. n. 10.* similiter valet confessio, si fiat coram arbitro: quia arbitria ad similitudinem judiciorum sunt redacta. *L. 1. ff. de Recept. qui arbitr. secus est, si fiat coram arbitrate. Facta verò coram Judice incompetente nulla est. c. 4. de Judic. habebit tamen vim extrajudicialis, quæ non plenè probat: imò si confitens potuit, & voluit jurisdictionem Judicis prorogare, etiam ut judicialis valebit talis confessio. Anton. Perez in Cod. h. t. n. 6.* Et quidem hujusmodi confessio coram Judice incompetente facta, est in criminalibus sufficiens indicium ad torturam *Aceved. in L. 1. tit. 7. lib. 4. R. C. n. 31. Gom. Var. 3. cap. 13. n. 8. 6.* debet fieri con-

confessio præsentis adversario, seu hoste, vel ejus Procuratore habente speciale ad hunc effectum mandatam. *L. 6. §. 3. ff. h. t. L. 4. tit. 13. p. 3.* Et tunc proprie est confessio, quasi sit simul factio. Sat tamen est, fieri coram Judice, vel si referatur in protocollum, vel in acta, vel aliam scripturam, & postea adversariò communicetur: & ita in praxi servatur. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 5.* Confessio etiam præsentè parte facta, si non acceptetur à parte expressè, minimè nocet. *Anton. Perez in Cod. h. t. n. 15. Barbos. in c. fin. h. t. n. fin.* non tamen requiritur acceptationem expressam, tenet *Greg. Lop. in L. 2. tit. 13. p. 3. V. C. p. r. ella. 7.* debet confessio esse de re certa quoad substantiam, & quantitatè. *L. 6. ff. h. t. L. 4. tit. 13. p. 3.* Nam confessio de re incerta non præjudicat confitentem: v. gr. si dicat, se alteri debere pecuniam, vel fundum; sed non assignet aliquam quantitatem, nec talem fundum: debet tamen Judex ipsum confitentem compellere, ut quantitatem, vel fundum declaret. *L. 6. tit. 13. p. 3. 8.* debet confessio in judicio fieri, quod nomine litis intelligitur. Nam si extra judicium fiat, non erit probatio plena, quamvis presumptionem faciet. *L. fin. ff. de Interr. L. 4. l. fin. tit. 13. p. 3.* Si tamen in judicio, vel processu nullo fiat confessio vera coram Judice competente, durat in alio judicio valido. *Aceved. in L. 1. tit. 7. lib. 4. R. C. n. 28. 9.* non debet fieri in favorem confitentis; *arg. L. 6. C. de Probation.* si enim pro se contra adversarium fieret, nihil contra adversarium probaret, nisi aliunde id ipsum, quod est confessus probaretur. *L. 4. tit. 13. p. 3.* alias ille esset testis in propria causa; quod omninò prohibetur. *L. 10. C. de Testib. 10.* debet confessio tallis esse, ut non repugnet naturæ, nec juri. *L. 13. ff. de Interr. in jur. faciend.* siquidem debet esse verisimilis. Sic non valeret confessio, qua quis declararet aliquem ipso ætate majorem esse suum filium: vel ipsum cum sit Christianus, esse servum alicujus Judæi: Nam prima confessio naturæ, secunda juri repugnat. *L. 6. tit. 13. p. 3.* prædicta debent concurrere, ut confessio sit undequaque plena, & probationem legitimam inducat. Quod clarè habetur in *L. 4. tit. 13. p. 3.* ibi: *Muchas cosas ha menester que aya en si la concocencia, que fuere fecha en juicio, para tener daño à aquel que la hace, è pro à su contendor, è son estas: Que sea de edad cumplida el que la hace, assi como de suso mostramos: è que la haga de su grado, è non*

por premia, è à sabiendas, è non por yerro, è que la haga contra si. Ca si el concociese cosa, que fuesse à su pro, non ternia daño à su contendor, si lo non probasse. E otrosi, que sea dicha en cierto sobre cosa, è quantia, è fecho. E la concocencia que fuere: non sea contra natura, nin contra las Leyes deste nuestro Libro. E sobre todo, que sea fecha en juicio, estando su contendor, è su personero delante. E todas estas cosas decimos, que debe aver la concocencia, que ha de ser verdadera; è si alguna dellas falliesse, non ternia daño à la parte que la hizo.

133 Interrogatus in judicio debet clarè, & certò respondere: quod si fortè dubitet, & terminum petat ad se certificandum, ei debet à Judice concedi, nisi hoc ex Advocati suggestione faciat ad differendam litem. Nam tunc non debet illi terminus concedi, ne illi aliquam cavillationem Advocatus fugerat ad veritatem obscurandam. Et hac ratione non debet Advocatus adesse, dum Judex reum interrogat. Et in criminalibus non potest rei confessionem suscipere Tabelio, sed ipse Judex coram Tabellione eam suscipere debet, Tabellioque eam in scriptis, & actis ad litteram apponet, & scribet. *L. 3. tit. 13. p. 3. L. 2. tit. 7. lib. 4. R. C. Paz in Prax. tom. 1. p. 5. §. 4. ex n. 1.* debet etiam Judex reum in secreto examinare. *L. 3. tit. 30. p. 7.* & reus ad faciendam confessionem debet præstare juramentum de veritate dicenda. *L. 4. tit. 29. p. 7. Hevia in Cur. Philip. 3. §. 13. n. 1.* Litigantes tenentur respondere positionibus ab adversario positis, & quidem per verba clara, scilicet: *nego vel confiteor*; non per verba *credo*, vel *non credo*. *L. 2. tit. 7. lib. 4. R. C.* Et etiam positionibus negativis, quæ non aliunde, quam ex confessione adversarii probati possunt, potest quidem ipse cogi respondere, si æquitas hoc, juxta Judicis arbitrium exigat. *c. 1. h. t. in 6.* & confessio tunc facta, utpotè judicialis probat plenè *Barbos. in c. fin. h. t. n. 9.* Et licet reus attentò Jure Communi non teneatur actori instrumenta propria edere, nec arma contra se ipsum ministrare videatur. *c. 1. de Probation.* tenetur tamen positionibus respondere: Et disparitas est: quia actor potuit sibi ab initio providere, querendo instrumenta ad suam intentionem contra reum probandam; sed non potuit venire paratus respectu confessionis, qua reus positionibus responderet, cum illa non sit in sua potestate: ideòque sibi imputare debet, quod

non paravit idonea instrumenta ad suæ intentionis probationem. Nam jura non dormientibus, sed vigilantibus subveniunt. *c. 5. de Præscript.* sed jam hodie, saltem ex consuetudine, indistinctè ab actore, & reo instrumenta eduntur. *Gonz. in c. 1. de Probat. Pareja, & alii.* Præterea, Confessio judicialis est probatio. *c. 15. de Restitut. spoliat. L. 8. l. fin. tit. 14. p. 3. L. 2. tit. 21. lib. 4. R. C. Et ibid. Acced. n. 21.* quamvis alii dicant, quod non est probatio, sed relevatio probationis quam deberet facere pars adversa: Et quidem adeo efficax est, ut alias probationes per testes, & instrumenta superet. *Arg. L. un. C. h. t. vel saltem æquet. L. 2. tit. 13. p. 3.* idèquè dicitur, quod post confessionem delinquentis nullæ sunt iudicis partes, nisi ad condemnandum. *L. 16. C. de Pœnis,* admittiturque contra præsumptionem juris, & de jure, licèt aliæ probationes excludantur. Imò, & admittitur post conclusionem in causa. *c. 10. de Fide Instrument.* & per ipsam retractatur res iudicata: Etiam admittitur confessio lapsis decem diebus datis in via executiva ad probandas exceptiones, licèt alia probatio non admittatur. *L. 2. tit. 21. lib. 4. R. C. Et ibid. Acced. n. 21.* cum hujusmodi confessio notoriè tamen inducat. *c. 7. de Cohabit. Cleric.* appellationem consequenter tollit. *c. 13. c. 14. de Appellat. L. 2. C. quorum appellat. non recip.* Post confessionem in causa criminali factam, cum tunc confessus non pro iudicato, sed pro convicto habeatur, pronuntianda est, & ferenda sententia definitiva. *c. 2. h. t. L. 5. ff. de Custod. reor. L. 2. tit. 13. p. 3.* nec confessio executioni mandatur, nisi subsequatur iudicis sententia: siquidem ob maximum periculum vitæ, & pœnæ incertitudinem expedit, sententiam ferri, ne fortè rei tædio vitæ, vel tormentorum metu, vel errore, vel demencia, magis quam conscientia delicti confiteantur: Idèquè prius debet de corpore delicti constare, id est, debet constare, vel per ocularem inspectionem, vel per aliam probationem legitimam, verè esse commissum delictum, v. g. homicidium, vel furtum, quod quidem reus fatetur: Nam etiam si reus fateatur, se occidisse Titium, si Titius ipse vivat, non tenet talis confessio. *L. 23. §. fin. ff. ad Leg. Aquil. L. 5. tit. 13. p. 3. Paz in Prax. tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 4. n. 20.* In civilibus autem si confessio fiat post litis contestationem, etiam requiritur sententia. *L. 3. l. 5. ff. h. t. c. 10. de Transactioib. L. 2. tit. 13. p. 3. ibi: E por en-*

de el Jdgador, ante quien es hecha la confesion, debe dar luego juicio afinado por ella, si sobre aquella cosa, que conociere, fué comenzado pleyto por demanda, è por respuesta. Siquidem iudicium semel coeptum sententia terminandum est, & Judex debet pronuntiare de quo cognovit. *L. 74. ff. de Judic. Si verò quis ante litis contestationem fateatur debitum, non est necessaria sententia, sed sufficit iudicis præceptum de solvendo. L. 21. ff. de Judic. l. un. C. h. t. L. 2. tit. 13. p. 3. L. 7. tit. 3. p. 3.* Et en facili negotio solum nodum, in quo componendo dimicant DD. sibi quæ opponuntur signa, pares Aquilas, & pila minantia pilis.

134 Qui tantum incidenter confitetur crimen in iudicio non punitur pœna ordinaria. *c. 1. de Exception.* nisi Judex novo processu instituto inquirat in criminosum: Quod si tunc probetur delictum, potest Judex pœnam ordinariam infligere. *C. 2. h. t. Gonz. ibid. n. 4.* vel si illud crimen, quod reus confitetur contingat principale negotium, ut in *c. 2. h. t. Et Glos ibid. V. Confessus.* Confessio qualificata, si qualitatè adjectæ obstet juris præsumptio, potest admitti quoad substantiam, & rejici, quoad qualitatem, nisi à parte eam allegante probetur: v. g. si quis fateatur, se dixisse verba contumeliosa, sed sine animo injuriandi, vel fateatur, se Titium occidisse, sed adat, causa defensionis hoc fecisse: quia in his casibus præsumitur animus injuriandi, & occidendi. *L. 1. C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Confessio admittitur quatenus probat injuriam, & homicidium, non verò, quoad exceptionem adjectam, nisi à parte probetur. At verò Judex in casu homicidii sic confessi non infligit pœnam ordinariam mortis: Sicquidem ad ipsum imponendam manifestissima requiritur probatio, & ipsa luce meridiana clarior. *L. fin. C. de Probat. sed aliam mittorem pœnam decernet. Menoch. de Arbitr. cas. 93. n. fin. Gom. Hevia, & alii com.* Si reus negavit homicidium, & postea sit de illo convictus, adhuc potest allegare, & probare, hoc fecisse ad sui defensionem: Et idèquè debet respondere in confessione: se non fecisse homicidium, sed dato, & non concessio, illud commississe, hoc in sui defensionem fecisse. Et hic modus respondendi in praxi servatur. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 13. n. 12.* Quod si non obstet juris præsumptio, & qualitas sit negotio conjuncta: ut si confiteatur, se promississe sub conditione, tota debet acceptari, vel repudiari tota: quia illa conditio censetur pars negotii prin-

cipialis: Si verò qualitas sit separata, v. g. si quis fateatur debitum, sed dicat pactum esse adjectum de non petendo, acceptatur confessio tantum, quoad debitum, & rejicitur quoad qualitatem pacti, nisi ipse confitens pactum probet. *Perez in c. h. t. n. 15.* Recusans respondere positionibus adversarij in criminalibus non habetur pro confesso: quia ut quis in criminalibus condemnatur clariore probatione requiruntur. *L. fin. C. de Probation.* in civilibus tamen si post litem contestatam aliquis jus respondere recuset, habetur utique pro confesso, quoad ea, quæ in positionibus continentur. *c. fin. h. t. in 6. L. 1. L. 2. tit. 7. lib. 4. R. C.* nisi rationabilem causam se excusandi habeat: v. g. si positio esset incerta, dubia, obscura, calumniosa, impossibilis, vel si contineret crimen rei omninò occultum, vel questionem juris: in his nempe casibus non tenetur reus respondere. Et quidem ut recusans respondere, habeatur pro confesso requiritur sententia iudicis declaratoria. *Glos. in c. fin. h. t. in 6.* attamen adversus hanc præsumptionem admittitur probatio, quia licèt sit juris præsumptio, non tamen est de jure.

135 Confessio extrajudicialis in criminalibus contra ipsum confitentem, si non sit calore iracundiæ facta, sed verisimilis sit, & certa, quæ contineat locum, & tempus delicti, & sit probata legitime in iudicio per duos testes, indicium facit ad torturam, etiamsi talis confessio fiat à minore, & etiam absente parte. *Arg. L. fin. tit. 13. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Gom. Var. 3. cap. 13. n. 8.* numquam tamen facit probationem plenam, etiamsi jurata, & geminata sit. *Barbos. in c. fin. h. t. n. 10.* quod si contra tertium fiat, nec tale indicium, sed aliquam præsumptionem ad purificationem Canonicam facit. Si verò in civilibus confessio extrajudicialis tendat ad liberandum à debito, v. g. si quis dicat: fateor te mihi non teneri: si acceptetur ab adversario, cum fiat ab eo, qui potest remittere debitum, si quod est, ejus liberationem inducit. *L. 40. ff. de Pænis,* si ad obligandum confitentem tendat plene probat, si adjectur causa, ex qua debetur: & tunc dicitur *confessio discreta:* debet tamen fieri coram adversario, & per duos testes probari. *c. 14. de Fide Instrum. L. 13. C. de Non numer. pecun.* ubi concludit: *Nimis enim indignum esse iudicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere.* *Perez in c. Tom. I.*

h. t. n. 18. Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 6. Si tamen non expressa causa debiti, etiam coram adversario confessio fiat: vel etiam ipsa expressa, absente tamen adversario fiat, regularitè tantum semiplene probat. Si tamen sit jurata, vel post intervallum repetita, & geminata, vel in scriptis recepta, vel in favorem causæ piæ facta, vel acceptata ab alio nomine illius, cujus interest, etiam sine ejus mandato, dum tamen postea ab ipso ratificetur plene probat. *Gutier. de Jur. Confirm. Gom. 2. Var. cap. 11. n. 6. Hevia in Cur. Phil. p. 1. §. 17. n. 6. Barbos. in c. fin. h. t. n. 10.* Præterea plene probat talis confessio, etiam absente adversario facta, si ipsi unius testis testimonium, vel alia præsumptio, vel indicium adiungatur. Quippe in civilibus ex duabus semiplenis probationibus plena probatio resultat. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 17. n. 6.* Si non expressa causa, & absente adversario fiat, nihil probat. *L. fin. tit. 13. p. 3.* Aliquando hæc confessio pro majori deliberatione confitentis magis probat juxta *Mascard. & alios.* Confessio in testamento non revocato facta in præjudicium tertii non probat. *Arg. L. 6. C. de Testament.* adeò ut matri testanti, filium suum esse illegitimum, non sit credendum, nec propterea debeat ab hereditate talis filius excludi. At verò in præjudicium ipsius testatoris probat, etiam contra heredes, sive tendat ad liberationem alterius, sive ad exonerandam conscientiam defuncti. Imò si dicat, se alteri debere centum, quæ certè ei non debet: hæc confessio licèt non valeat in ratione debiti, valebit in vim legati, si creditor capax legati sit. *L. 88. §. 10. ff. de Legat. 2. Gom. Var. 1. cap. 12. n. 81.* Si verò non sit legati capiendi capax talis legatarius, nullo modo valebit confessio, ut potè facta in Legis fraudem. Quod si testator revocet testamentum, etiam revocata confessio censetur, nisi à parte sit acceptata, vel à Notario pro eam tunc cum jam in naturam contractus transierit, non potest revocari.

136 Potest quis non solum per se, sed etiam aliquando per procuratorem confiteri: ut tamen possit procurator facere confessionem pro Domino, ita ut confessio illi præjudicet, non sufficit, quod habeat generale mandatum, sed debet habere mandatum speciale ad confessionem, vel generale cum libera, quod speciali æquivaleret. *c. fin. h. t. L. 20. ff. de Interrog. injur. L. 1. tit. 13. p. 3. L. 2. tit. 7. lib. 4. R. C.* Et hæc ratione Æconomus cum ple-

nam administrationem à jure habeat, sua confessione præjudicat Ecclesiæ. *c. fin. h. t. idem* est dicendum de Syndicis, qui à Civitatibus constituuntur. *Acedo in L. 2. tit. 7. lib. 4. R. C. n. 20. & similiter dicendum* est de Tutoribus, & Curatoribus. *Perez in c. h. t. n. 12.* Quod si Procurator, Æconomus, Tutor, Curator, vel Syndicus Civitatis extra officii necessitatem aliquid afferant, talis confessio nec Dominis, nec minoribus, nec Civitati, nec Ecclesiæ; sed tantum Procuratori, Æconomico, Tutori, Curatori, vel Syndico præjudicat. *L. 6. §. 4. ff. h. t. junct. Gothofr. ibid.* siquidem alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. *L. 74. ff. de Reg. jur. L. 9. §. 4. ff. de Interrogat. injur.* Prælatus ex officio, & necessitate confitendo, secus si voluntariè hoc faciat, præjudicat Ecclesiæ. *Arg. c. 1. de In integr. restituit.* Ecclesia tamen læsa potest restitui. *c. fin. de In integr. restit. in 6.* Alii dicunt, quod Prælatus præjudicat Ecclesiæ in confessione rei, quam ipse per se facere potest, secus in aliis. *Sic Gonz. in c. fin. h. t. n. fin.* Successor universalis cum in omnia jura defuncti succedat, potest confessionem defuncti revocare, quando & ipse defunctus si viveret, revocare posset. Siquidem aliquando licet confitentem suam revocare confessionem. Et quidem incontinenti post ipsam confessionem, potest reus eam revocare, etiamsi nullum probet errorem, sufficit enim si illum alleget. Incontinenti intelligitur facta revocatio, quæ fit antequam reus à Judice recedat. *Arg. c. 7. de Testib. cogend. Et ibid. Glos. V. Incontinenti.* Etiam ex intervallo potest reus, ante sententiam tamen, revocare confessionem in judicio factam à Procuratore, vel Syndico, vel aliis hujusmodi, probando, quod res non ita se habeat, sicut ex confessione constat, cum error in factis alieno probabilis habeatur. *L. fin. in fin. ff. Pro suo.* Post sententiam tamen non potest revocare talem confessionem. *c. fin. h. t. L. t. tit. 13. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* Imò, & confessionem propriam potest quis ante litem contestationem revocare, probando, rem aliter se habere: post litem tamen contestationem potest adhuc revocari confessio, etiamsi jurata sit; est tamen necessarium probare errorem, vel causas probabiles erroris; v. g. debet pars probare, se inductam ad confessionem fuisse dolo, aut metu alterius, vel negotium esse intricatum, & perplexum, vel factum esse valde antiquum, vel quid simile. *c. fin. h. t. L. 7.*

C. de Juris, & facti. ignor. L. 5. tit. 13. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. qui addit, confessionem erroneam, etiam sæpius repetitam non nocere. Hæc tamen revocatio debet ante sententiam fieri. Nocet tamen confessio, si quis falsum sponte confiteatur, v. g. si dicat, se alteri debere, vel alterum sibi non debere: Nam tunc confitens, vel illam quantitatem donare, vel debitum remittere censetur. Deinde, nocet confessio, si quis erret in proprio facto, vel si error facti procederet ex culpa lata versutia, vel si erret in jure: In his enim casibus non revocatur confessio: nam tales errores tolerabiles non sunt. *L. 9. ff. de Jur. & facti. ignor.*

TIT. XIX.

De Probationibus.

137 **P**robatio juxta *Accursium in Rubr. c. h. t. Est rei dubie per argumenta ostensio.* Et sic dicitur à *probo* adverbio. *Probo enim agit, qui probat, quod intendit. L. 1. tit. 14. p. 3. ibi: Prueba es averiguamiento, que se hace en juicio en razon de alguna cosa, que es dudosa.* Siquidem quæ manifesta sunt non probantur. *c. 9. de Accusation.* tantum enim probantur ea facta, quæ sub lite, & controversia sunt, & quidem cujuscumque generis sint, sive criminalia, sive civilia, sive sacra, sive profana. Non tamen probatur id, quod in jure consistit: nam Judex censetur illud scire, ac proinde sufficit, illud allegare: nisi fortè illud jus sit Municipale, vel consuetudinarium: Nam cum hoc aliquo modo pertineat ad factum, debet ab illud allegare, probari, quia Judex illud ignorare potest. *c. 1. de Constitution. in 6. L. 7. tit. 14. p. 3.* Probatio multiplex: est alia enim et *artificialis, inartificialis* alia. *Artificialis* est, quæ arte, & industria probantis per argumenta ex ipsis rei visceribus deducta, conficitur: Talis est, quæ per præsumptiones fit. *Inartificialis* est, quæ extrinsecus assumitur à testibus, instrumentis, confessione, & aliis hujusmodi. Alia est *judicialis, extra judicialis* alia, *Judicialis* est, quæ fit post litem contestationem, & quidem in judicio hæc solum admittitur. *Extra judicialis* est, quæ ante litem contestationem, vel extra judicium fit. Sed præcipua probationis divisio est *in plenam, & non plenam.* Sive hæc semiplena, sive major, sive minor semiplena sit: nam in has rursus non plene subdivi-

dividitur. *Plena* etenim est, quæ plenam fidem facit Judici, ut sententiam ferre possit. Et quidem fit, vel per instrumentum publicum, & authenticum, vel per depositionem duorum testium omni exceptione majorum, vel per confessionem judicialem ipsius rei, vel per evidentiam facti. *c. 15. de Restit. spoliat. L. 8. tit. 14. p. 3.* vel per præsumptiones vehementes, vel per juramentum à parte delatum. *L. 8. tit. 14. p. 3.* licet aliqui scrupulosè loquantur de confessione rei, & de facti evidentia, seu Judici inspectione. Sed cum tales probationum species in Lege Regia admittantur, nobis sufficit, ut eas à Doctorum impugnationibus defendamus.

138 Probatio non plena aliquando *semiplena*, aliquando *major*, aliquando *minor* semiplena est: & idè à semiplena, ut aliarum mensura incipiendum est. *Semiplena* igitur probatio est, quæ aliquam, non tamen plenam fidem Judici facit, ita ut non sufficiat ad sententiam ferendam. Efficitur talis probatio per depositionem unius testis omni exceptione majoris, vel per depositionem plurium singularium, vel etiam duorum concordantium, sed non omni exceptione majorum, vel per scripturam privatam, vel per juramentum suppletorium, vel per præsumptionem verisimilem, vel per famam, vel per comparisonem literarum, vel per alia hujusmodi. Hinc infertur, quod probatio *major* semiplena est illa, quæ majorem habet firmitatem, quam semiplena, ut depositio personæ valde excellentis, quando ejus testimonium solum invenitur, & è contra probatio *minor* semiplena est, quæ minorem firmitatem, quam semiplena habet: ut aliqua levis præsumptio.

139 Si ergo probatio major semiplena aliquo adminiculo juvetur: v. gr. si depositioni personæ valde excellentis, & veracis accedat depositio alterius, fidei non adeò integræ, ut possit dici omni exceptione major, facit probationem plenam, ita ut quod uni testi deest, suppletur per id, quod alteri superest, & ex dicto utriusque una plena probatio constat: quinimò aliquando probatio plusquam semiplena sufficit ad sententiam ferendam in civilibus non arduis, nec magni præjudicii. Semiplena probatio, si alia semiplena juvetur, probationem facit plenam, si utraque ad eundem finem tendat, etiamsi diversi generis sint. Sicque fidem plenam faciunt in civilibus levioribus præsumptiones cum fama publica, vel unius testis cum juramento suppletorio.

c. 13. h. t. c. 27. de Testib. secus est in civilibus valde arduis, in matrimonialibus, & in criminalibus, in quibus ob maximum præjudicium, quod potest resultare, clariore probatione desiderantur. *L. fin. C. h. t.* Deinde, semiplena probatio dat locum juramento suppletorio. *c. 2. h. t. & aliquando ab onere probandi liberat: imò aliquando sufficit ad sententiam ferendam, ut si impedimentum matrimonium irritans ab uno teste declaratur ante contractum matrimonium: Nam tunc sufficit illa declaratio ad matrimonium impediendum, c. 12. de Sponsal. & in aliis similibus casibus, ubi favor animarum, & ratio vitandi peccatum versatur. Probatio minor, quam semiplena interdum sufficit ad apprehensionem suspecti, vel ut illi indicatur juramentum purgationis. *c. 5. c. 8. de Purg. Canonic. & aliis adminiculis adjuncta aliquando plenam, aliquando semiplenam, aliquando plusquam semiplenam probationem pro diversitate circumstantiarum, faciet; arg. L. 4. C. h. t.* Semper tamen debet attendi, quod non fiat, nec admittatur in judicio probatio rei, quæ ad negotium principale iudicii non spectet. *L. 22. C. h. t. L. 7. tit. 14. p. 3.* Et quidem probatio debet esse clara, & certa, ita ut instructus Judex de litigantium intentione certam, juxta ipsam probationem, seu secundum allegata, & probata, ut communiter dicitur, possit ferre sententiam. *c. 8. h. t.* probatio etenim Judici fieri debet, siquidem hic debet de causa judicare, non tamen parti: huic enim frustra fieret: nam semper eam negaret. *L. 12. ff. h. t. Et ibid. Glos. V. Judic. L. 7. tit. 14. p. 3.* nec vellet intelligere, etiam rem evidentem, ut bene ageret. Probatio regulariter fit post litem contestatam. *c. 1. & per tot. Ut lite non contest.* estque facienda juxta formam libelli, & citata parte adversa ad ejus receptionem: nec admittitur probatio post publicatas attestaciones, seu testimonia, & conclusionem in causa: quia tunc jam censetur probationibus renuntiatum. *c. 6. h. t.* debetque concludi intra terminum à jure præscriptum. Et à Judice debent probationes excipi scripto, medio Notario, seu Tabellione, vel coram ipso Judice, & duobus adjunctis, qui locum Notarii, seu Tabellionis subeunt, ejusque vices suplent, fiet probatio, & testium depositio. Et sic præcitur in his Insulis: nam Prætores Indorum, *Hispani Alcaldes Mayores*, cum duobus adjunctis formant processum, cæteraque judicialia faciunt.*

Et tamquam si coram Notario, vel Tabellione fierent, habent fidem publicam in iudicio. Quod si processus non fiat coram Notario, vel coram Iudice, & adiunctis, etiamsi in summario sit, non facit fidem in iudicio. *c. 11. h. t.* Qui semel suam intentionem plenè probavit, non tenetur talem probationem iuramento etiam decreto à Iudice, vel statuto à consuetudine, quæ potius est corruptela, confirmare. *c. 2. h. t.* quia cum jam sit plenè probatum, non est necessarium iuramentum, quod quidem solum in probationis defectum, & ad ejus supplementum deferri solet: ac proinde, cum superfluum sit, non debet permitti: nec qui certus est, amplius debet certiorari. *c. 31. de Reg. jur. in 6.* Et eadem ratione ille, contra quem plenè probatum est, utpotè quod jam non tantum suspectus, sed & convictus est non admittitur ad purgationem canonicam per iuramentum. *c. 12. h. t.* per testes tamen potest suam innocentiam probare. *c. 35. de Testib.*

140 Onus probandi in quacunque causa, sive civili, sive criminali, sive spiritali, sive profana incumbit auctori affirmanti, non verò reo neganti. *L. 21. ff. h. t.* quod si auctor non probet, etiamsi reus nihil præstiterit, nullamque probationem fecerit, nec defensionem pro se attulerit, reus absolvitur. *L. 4. C. de Edend. c. fin. §. Sanè, de Jur. jur. L. 1. tit. 14. p. 3.* ibi: *E naturalmente pertence a prueba al demandador, quando la otra parte negare la demanda, o la cosa, è el fecho sobre la pregunta que le face. Ca si non lo probasse, deben dar por quito al demandado de aquella cosa, que non fue probada contra él, è non es tenuta la parte de probar lo que niega, por que non lo podría facer; bien assi como la cosa, que non se puede mostrar, nin probar segun natura.* Hinc Iudici ex officio procedenti, & inquirenti, cum tunc loco accusatoris sit, incumbit onus probandi contentum in inquisitione: siquidem semper tenetur quis suæ intentionis fundamentum probare. Quod si præsumptio stet pro auctore relevatur hic ab onere probandi, & transfert in reum hujusmodi onus, etiam, quando reus negat. *c. un. Ut Ecclesiast. Benef. L. fin. ff. Quod metus caus.* Similiter si auctor est persona privilegiata, ut pupillus, minor, mulier, miles, vel rusticus in reum onus probandi transfertur, ut in casibus. *L. 25. §. 1. ff. h. t. L. 13. §. fin. ff. de Publiciam.* Aliquando etiam reus renuntiando suo juri ultro subit onus probandi. *L. 14. ff. h. t.* quod si

nec ipse, nec auctor probaverit, absolvitur ipse reus ab instantia iudicii: non tamen amittit causam, nisi ad hoc se obligaverit. Quando verò reus auctori opponit exceptionem affirmativam. V. gr. si dicat, se solvisse; debet illam probare. Siquidem quoad talem exceptionem habetur, ut auctor. *L. 1. ff. de Exceptionib.* quod si auctori opponat exceptionem negativam: v. gr. non accepisse pecuniam, auctori incumbit probare, se pecuniam tradidisse. *L. 3. C. de Non numerat. pecun.* Huc potest reduci, quando Iudex ex justa causa reo defert iuramentum: nam tunc tenetur reus tale iuramentum quod loco probationis succedit, præstare. *L. 38. ff. de Jur. jur. in iudiciis duplicibus, in quibus uterque litigans est auctor, & reus, uterque probare debet.* Talia sunt iudicia familiaris eriscunde, communi dividendo, & finium regendorum. *c. 3. h. t. L. 13. l. 14. ff. de Judic.* Et qui melius probaverit, vincet; quod si uterque æquè probet, absolvendus erit possessor, cum promptiora sint jura ad absolvendum, quam condemnandum. *c. 3. h. t. L. 40. tit. 16. p. 3.* Is verò, qui ad iudicium provocavit, vicam auctoris sustinet, ut sic facilius ordinetur processus: si non constet, quis provocavit, sorte dirimitur, quisnam auctor habeatur. *L. 13. l. 14. ff. de Judic.* Quando in interdico restituendæ possessionis uterque contendit insolidum eamdem rem possidere, cum uterque auctor, & reus sit, uterque debet probare possessionem, & titulum, si ad illum probandum se offerant, ut constet pro quo sit pronuntiandum, vel quis possessionem habeat antiquiorem. *c. 9. h. t.* in dubio tamen hæc regula servanda est: quod ille, qui semel fuit Dominus alicujus rei, vel illam possedit, vel habuit in pignore, vel in deposito, præsumitur semper Dominum esse, vel possessorem, vel depositarium, donec contrarium probetur. *L. 16. C. h. t. l. 10. tit. 14. p. 3.*

141 Regulariter reus ab onere probandi eximitur, quia negativa, in qua ipse fundatur, probari non valet. Sed quia hoc aliquando fallere solet, pro perfecta ejus intelligentia triplex negativa distinguenda est. 1. est *negativa juris*: quando scilicet negatur, aliquid posse de jure fieri. 2. est *negativa qualitatis*, quando scilicet negatur, aliquam qualitatem alteri inesse. 3. denique est *negativa facti*, quando scilicet, aliquid factum negatur. Qui ergo negat, quod de jure quilibet permittitur, nisi specialiter prohibeatur: v. g. aliquem posse esse Judicem, Advocatum,

vel

vel testem, tenetur suam intentionem probare, cum pro adversario stet præsumptio: Nam licita, & permessa censetur, quæ non probatur prohibita. *L. 28. §. 2. ff. Ex quibus caus. major.* & præcipue, quia ipsa negativa bene potest à negante probari, cum ad affirmativam reducatur: scilicet, dari Legem talia prohibentem. Quando verò quis negat, quod de jure prohibetur est: v. g. si quis neget, aliquem hominem licite occidi: tunc affirmans hoc licitum esse, illud probare tenetur, non verò id negans, cum præsumptio pro negante contra affirmantem militet. *Arg. L. 3. tit. 13. p. 3.* Qui tamen negat aliquam qualitatem, quæ omnibus naturaliter inest, v. gr. aliquem esse compotem mentis, vel legitimum, cum pro illo stet præsumptio illius qualitatis, ipse negans probare tenetur illi eam qualitatem deesse, cum quilibet præsumatur talis, qualis natura esse debet. Hinc, qui negat hæreditatem, vel legatum alteri relictum deberi, quia negat, testatorem esse mentis compotem, cum fecit testamentum, hoc probare tenetur, quia pro alio stat præsumptio, & aliunde hæc negativa ad affirmativam reducitur: scilicet, testatorem fuisse amentem, vel furiosum, dum testamentum condidit: quod si hoc non probet, valet ibi utque testamentum, & hæreditas, vel legatum; debetur, etiamsi altera pars nihil probet. *L. 5. C. de Codicil. L. 2. tit. 14. p. 3.* Si verò quis neget, qualitatem, quæ non inest omnibus naturaliter, sed accidentaliter aliquibus accedit. v. gr. si quis neget, alium esse nobilem, vel Doctorem, vel Hispanum, vel quid simile, & agatur de aliquo removendo à dignitate ob illius qualitatis defectum, neganti incumbit probatio, quia pro alio stat possessio dignitatis, in qua in dubio debet sustineri, ac consequenter pro eo stat illius qualitatis præsumptio: sed independentè à possessione regulariter, non neganti, sed affirmanti, se habere talem qualitatem incumbit probatio, quia non præsumitur, talem qualitatem, utpotè quæ accidentaliter est, adesse. Et hoc in praxi quotidie videmus in his qui ad Dignitates, Præbendas, Collegia, Ordines Militares, aliasque Communitates exigentes in attendendis nobilitatem, puritatem sanguinis, vel gradum Doctoris, eliguntur, qui quidem non aliter admittuntur, quam probatione talium qualitatum præcedente. *Arg. l. 7. C. de Professor. & Medic. lib. 10.* Etiam is qui ut servus petitur, si neget, se esse servum, & sit

in possessione libertatis eximitur ab onere probandi, & adversarius tenetur, illum esse servum probare; quod si ille, cum in servitutis possessione sit, ad libertatem proclamet, si Dominus probat possessionem non violentam, nec dolosam, tenetur servus probare libertatem, vel possessionem esse dolosam, vel violentam. *Arg. L. 14. l. 20. ff. h. t. l. 5. tit. 14. p. 3.* Similiter, si Minor petat à Curatella liberari asserens, se majorem esse, & hoc neget Curator, ipse minor tenetur probare esse majorem: quod si Curator intendat à Curatella liberari, quia dicat suum clientem majorem esse, ipse Curator hanc majoritatem probare tenetur. Quod si minor velit, contractum ab ipso factum infirmare: quia dicit, se esse minorem, tenetur minoritatem probare: Et sic de aliis: Et ratio est: nam in his, & similibus casibus non attenditur quis affirmet, vel neget ex cortice verborum, sed quod quilibet probet suæ intentionis fundamentum.

142 Tota jam ergo difficultas reducitur ad negativam facti, quæ per naturam dicitur improbabilis: Sed hoc non ita indistinctè accipiendum est, ut sit verum semper, & ubique. Nam triplex communiter negativa facti distinguitur. Alia enim est *negativa facti pura, simplex, & indefinitiva*: quæ scilicet, nullam loci, temporis, vel alterius circumstantiæ determinationem habet: v. g. si quis dicat: non contraxi: non occidi: & hæc quidem probari nequit. *L. 23. c. h. t. ibi: Cum per verum naturam factum negantis probatio nulla sit. L. 1. l. 2. tit. 14. p. 3.* quia nullius entis nullæ sunt qualitates, ex quibus probatio possit desumi. Alia dicitur *negativa prægnans*, quæ scilicet affirmativam in se continet: v. g. si quis dicat, se non sponte renuntiasse beneficio, & hæc potest, & debet probari à negante: quia saltem indirectè affirmat vim sibi illatam fuisse. *c. 5. de Renuntiati. L. 8. ff. h. t.* Alia denique est *negativa coarctata* dicitur: quia ad certum locum, tempus, vel aliam circumstantiam coarctatur, & restringitur. V. g. si quis dicat, se non occidisse Titium tali die, vel tali loco: Et hæc quidem à negante probanda est: Siquidem ad affirmativam reducitur, probando se tali die in alio loco valde distante fuisse, ita ut non posset in illo tempore esse in loco, ubi commissum fuit homicidium: v. g. si die quo dicitur aliquem homicidium Commisisse Granata, probet se Salmantice fuisse: vel si hora, qua commissum crimen in foro dicitur, probet se fuisse in Ecclesia.

6.

c. 35. de Testib. l. 14. C. de Contrahend. stipular. Arg. l. 117. tit. 18. p. 3. l. 32. tit. 11. p. 5. & Hispan. dicitur Coartada. Azeved. in l. 4. tit. 17. lib. 8. R. C. n. 39.

143 Licet actor, qui ut voluntariè provocans ad iudicium, debeat instructus accedere, consequenterque teneatur edere reo sua instrumenta: at verò reus, qui invitatus trahitur ad iudicium; ad quod non ad lædendum, sed tantum ad se defendendum accedit, non tenetur sua instrumenta actori edere L. 73. ff. de Rei vindicat. c. 1. h. t. ibi: *Nulli dicendum est: ea qua contra te sunt apud te ipsum, debes documenta requirere, in mediumque proferre.* Aliquando tamen potest etiam reus cogi sua instrumenta edere, scilicet. 1. Si actor habet jam fundatam suam intentionem, quia jam probavit contractum, v. gr. celebratum esse cum ipso, sed dubitatur de conditionibus, vel circumstantiis illius. L. 48. l. 52. ff. de Adion. empt. 2. si instrumenta sint utrique litiganti communia: sive hæc communio proveniat ratione proprietatis, ut est instrumentum defuncti, respectu hæredum; sive ratione actus, ut est instrumentum venditionis, respectu emptoris, & venditoris; sive ratione officii publici, ut sunt acta judicialia, libri censuales, & alia huiusmodi, quæ ad utilitatem publicam scribuntur. Tunc enim tenetur reus hæc instrumenta edere L. 10. ff. de Edendo, l. 7. C. Eod. l. 5. ff. Famil. hereticisund. c. 12. h. t. 3. si fiscus in causa Civili agat, ob ejus privilegium eduntur instrumenta rei. L. 2. §. 1. ff. de Jur. Fisci, quod privilegium ad Ecclesias, aliaque loca pia extenditur Abb. Dec. & Felin. non tamen extenditur ad casum, quod fiscus in causa Criminali agat. 4. Usurarii compelluntur, etiam sub censuris, edere libros rationum, ut actor ex eis possit illorum, usuras probare. Cl. un. §. Cæterum, de Usur. 5. si actor probat, amisisse sua instrumenta incendio, naufragio, vel ruina, vel alio simili casu; aut illa in longinquo habere: tunc enim reus cogitur actori succurrere sua instrumenta edendo. L. 6. §. 9. ff. de Edend. 6. quando actor indiget instrumentis rei ad probandam suam replicationem contra reum: quia jam intelligitur, habere fundatam intentionem, & solum indiget rei instrumentis ad probandam illam quasi exceptionem contra exceptionem rei. 7. Reus tenetur actori edere instrumenta si ea produxit in iudicio: tunc enim actor potest petere, quod sibi edantur, ut possit deliberare an agere, vel cessare velit, L. 1. §. 3. ff. de Edend. Sed ho-

die, saltem in Nostra Hispania, in praxi habetur, quod reus teneatur sua instrumenta edere actori, sicut actor sua instrumenta edit reo; ut sic major æqualitas inter utrumque litigantem servetur, & non coangustetur probationum facultas. L. 21. in fin. C. de Heret. sic Pareja, Larrea, Gonz. in c. 1. h. t. n. 14. & alii. Et hac ratione non licet pactum, ne quidem juramento firmatum, quo quis obligatur certantem genere probationum uti: quia contra bonos mores est occultare veritatem, quam aperiri oportet, c. 1. de Crim. fals. & contra publicam utilitatem legitimos modos probandi coartare. L. 21. in fin. C. de Heret. Et hinc, quando causa ad alium iudicem devolvitur, processus cum suis probationibus ad ipsum remittitur. c. fin. h. t. c. 11. de Testib. & fidem faciunt inter eosdem litigantes apud illum iudicem: quod si forte acta judicialia amittantur, omnia in illis contenta probari possunt per duos testes, qui deponant, se ea vidisse, & legisse; imò, & aliquando per partium confessionem probantur. Nunc ergo dicere oportet, quomodo in aliquibus casibus in particulari probatio fiat.

144 Si igitur de alicujus ætate controversia moveatur, quia ad aliquod officium, & ut dignitatem, certam ætatem requirentem sit electus: debet illius ætas probari ex Libro baptismali Parochorum, vel ex testimonio parentum ipsius, vel etiam obstetricum, & aliorum, qui interfuerunt natiuitati, vel baptismo, vel denique si alia desint probationes, potest probari ex indicis, vel conjecturis ex corporis habitu desumptis. Sic Mascard. Menoch. & alii. Si filiatio probanda sit, ex parte Matris certo probari potest. L. 5. ff. de in Jus vocand. ex parte verò Patris solum per verisimilis conjecturas probari valet. Et quidem quis præsumitur alterius filius, si natus sit ex ejus uxore cum ipso cohabitante, cum aliunde ipse potens sit generare. L. 6. ff. de His, qui sui, etiam si uxor alibi habitaverit, si maritus ad eam accedebat; & non tanto tempore absuit, ut non posset illum filium habere. L. 9. Tit. 14. p. 3. imò etsi eo tempore uxor adulterium cum alio commisset, & etiam si filius similis sit adultero; quippè hæc similitudo potest provenire ex imaginatione fœminæ tempore conceptionis: Nam semper ac potest, præsumitur filius legitimus in favore matrimonii; pro quo est benignior interpretatio facienda: Si quidem dubia in meliorem partem interpret-

pretari debent. c. 2. de Reg. jur. Menoch. de Arbitr. cas. 89. n. 20. ac proinde talis filius non potest debita privari hæreditate, etiam si Mater asserat, talem filium illegitimum esse. Tunc namque Matri non creditur, quia præterquam quod est testis singularis, de propria turpitudine deponit. L. 9. tit. 14. p. 3. nec contra talis filii legitimitatem admittitur probatio: Nam ipsum legitimum esse, est præsumptio juris, & de jure. Gonz. in c. 10. h. t. n. 10. Similiter natus ex concubina præsumitur filius eam in domo habitantis. Aliis etiam modis probatur filiatio quoniam si quis ab alio nominatus est filius non ex errore, vel blandiendi causa, sed serio, & in actu, quo ipsi soli conveniat talis nuncupatio v. g. in iudicio, vel in publico instrumento; & ut talis educatus, & tractatus sit, pro filio habendus est, donec contrarium probetur; nec iuri sit adquisito obstabit contrarium Juramentum parentis. c. 10. h. t. Quia indignum est, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est in eundem casum infirmare: testimonioque proprio resistere. L. 13. C. de Non numerat. pecun. Etiam ex communi fama probatur filiatio, præcipue, si fama sit viciniorum, & domesticorum, qui taliter nominatum communiter esse, & ut filium habitum deponant: Tunc enim plene probatur filiatio; imò & fama sola sine aliis administriculis plene probat filiationem juxta Menoch. & alios. Semiplene tantum famam solam probare, tenendum est ex L. 3. §. 2. ff. de Testib. ubi fama solum rei fidem confirmat. Et ibidem notat Gothofred. tenentque Gonz. in c. 10. h. t. n. 14. & alii. Latè de modo filiationem probandi agit Menoch. de Arbitr. cas. 89. Barbos. in c. 10. h. t.

145 Limes Dicecesum, & aliorum locorum, de quibus frequentissime lites, & controversie insurgunt; probantur per libros, & scripturas antiquas, per monumenta vetera. L. 11. ff. Finium regundor. scilicet, per historias, & chronica, si illis à nostris majoribus fides adhita sit, per mapas Geographicas authenticas, per inscriptiones, epitaphia, arma insculpta, & præcipue per lapides terminales. Hispani: Mojones. Etiam sit probatio per testes. Etiam domesticos, & præcipue per rusticos, & vicinos, qui sæpe eos terminos adeunt. L. 1. §. 1. ff. de Fluminib. arg. l. 79. §. 1. ff. de legat. 3. Si deponant, se à majoribus audivisse id, quod deponunt circa limites. Etiam probantur per famam publicam, vel per præsumptiones, vel per quæcumque alia adminicula, si alias sit

difficilis probatio c. 13. h. t. Et ibid. Barbos. & Gonz. L. 29. tit. 16. p. 3. in quo probandi genere plurimum defertur iudicis arbitrio, cujus erit æstimare, quænam scriptura sit ut antiqua habenda, vel non; & quænam fides historiis, & aliis administriculis, vel instrumentis adhibenda sit hic, & nunc. Arg. c. 4. §. 1. de Offic. Delegat. Iudex igitur prædictis probationibus factis, debet limites determinare, & constituere juxta vetera monumenta, & veterem formam, aut si hoc fieri nequeat propter obscuritatem, & confusionem terminorum, potest adjudicatione diimere controversiam. L. 2. §. 1. ff. Finium regundor. Imò ut veterem auferat obscuritatem, potest per aliam regionem fines, & limites dirigere, ita ut quod uni ex prædio alterius adjicitur ipse alteri pecunia recompenset. L. 2. §. 1. l. 3. ff. Finium regundor. Et debet limites certos, & si fieri potest, immutabiles assignare, ut flumen, montem, lapidem, arborem, vel columnam: ut sic litibus in posterum occurratur. Hinc Ovid. lib. 2. Fastor. loquendo de Deo Termino ait: *Tu Populus, urbesque, & regna in gentia finis: Omnis erit sine litigiosus ager.* Et quidem olim terminatum movensisco in quinqueaginta aureos ex Lege Agraria condemnabatur: personæ illustiores ad tempus relegabantur, servi verò plebebantur morte. L. 2. l. 3. ff. de Termin. moto, L. fin. tit. 14. p. 7. sed hodie poena arbitraria est.

146 Sæpe iudices recurrunt ad inspectionem ocularem. Hispani: Vista de ojos. Et quidem aliquando etiam, & per se ipsos ad se informandum, vel etiam publice, & tamquam Iudices ad decidendum: aliquando hæc inspectionem decernunt per alios faciendam. Et tunc fieri debet per peritos illius rei, de qua agitur, sic debet hæc inspectio committi Architectis cum agitur de damno infecto, & quis petit à vicino caveri damnum, quod ex ruina suarum ædium timetur per agrimensores sic hæc inspectio, quando de limitibus agrorum agitur. c. 9. de Præscript. L. 7. ff. de Offic. Præsid. l. 13. tit. 14. p. 3. per Medicos, & Chirurgos, dum inquiritur de gravitate infirmitatis, vel vulneris, si dubitetur, an aliquis sit occisus ex vulnere, vel non; per obstetrices fœminæ inspicuntur, & aliquando etiam per Medicos, quando dubitatur de mulieris potentia, vel utrum sit virgo, vel an garvida inveniat. Et sic de similibus. Nam unicuique in sua arte perito credendum est in materia suam artem concernente. Arg. c. 4.

h. t. l. 12. ff. de Stat. homin. l. 6. C. de Re militari, l. 8. tit. 14. p. 3. l. 7. tit. 8. p. 5. duo tamen sunt adhibendi, qui iuramento dicent, quod verum iudicent, & quid in illo puncto sentiant iuxta suam artis principia, & propriae conscientiae dictamen, & sic fidem facient. *Arg. c. 23. de Testib.* Quod si in loco, in quo fit probatio unus tantum ejus facultatis peritus inveniatur, ejus assertioni standum est, nisi causa sit valde ardua: Nam tunc ex loco viciniore alius debet accersiri. *Barbos. in c. 4. h. t. n. 8. Gom. 2. Var. cap. 9. in fin.* Si vero ille peritus, vel interpret fuit assumptus de voluntate partium, & hoc constat ex confessione illarum, vel alia probatione, tunc ejus declarationi statuer. *L. Theopompus, 14. ff. de Dote præleg.* Debet tamen præcedere aliqua causæ cognitio an talis inspectio expediat, & quinam assignandi sint; & tunc debet iudex per se vel per delegatum simul cum Tabellione, qui omnia necessaria, & conducenda in scripturam rediget, talem inspectionem peragere. *L. 8. §. 1. ff. Finium regund.* ad quam sunt citandi litigantes, & omnes quorum interest. *L. 47. ff. de Re judic.* & testes ab utraque parte producuntur. Hæc probatio omnium validissima, aliasque vincere communiter dicitur à DD. *Ex L. 8. §. 1. ff. Finium regund. c. 4. 27. q. 1.* Quod quidem verum est quando per eam obtinetur evidentia facti: tunc enim certè pro veritate habetur, & admittitur, quando alia probationes à Lege excluduntur: etiam post publicatas attestations; & ipsam conclusionem in causa, imò, & post rem judicatam: Nec sententia contra eam lata in rem judicatam transit. *Mascard. de Probat. Proem. q. 8. & alii.* Hinc est, quod quando aliqua quæstio insurgit circa alicujus mulieris virginitatem ad inspectionem deveniendum est. *Ex c. 4. 27. q. 1.* & si maritus juret cognovisse uxorem, ipsa autem contrarium juret, tunc possunt assignari ad superabundantiam septem mulieres, ut fuerunt assignatæ in casu *Text. in c. 4. h. t.* vel saltem sunt assignandæ duæ, vel tres, quæ necessariò requiruntur, ut earum depositio circa inspectionem fidem faciat. *c. 23. de Testib.* & si tale mulieres, honestæ, & artis peritæ ex corporis aspectu talem uxorem virginem esse deponat, ipsis contra virum credendum est. *c. 4. h. t.* Cum enim uxoris probatio sit plenior consequens est, ut prævaleat probationi mariti. *c. 9. h. t. l. 21. §. fin. ff. de Testib.* nisi illarum mulierum testimonium reprobatur

fuerit per alias mulieres aequè honestas, & artis peritas: quæ quidem talem uxorem post investigationem, & aspectum signorum virginitatis, non esse virginem declarent. *Quia sæpè manus fallitur, & oculus obstetricum. c. 14. h. t. l. 8. tit. 14. p. 3.*

147 Inter alios modos aliquid probandi frequenter repetitur probatio per famam. *L. 8. tit. 14. p. 3.* fama enim, quæ sic à *fando* dicitur est duplex: alia homine estque illasæ dignitatis status Legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro auctoritate Legum, aut minuitur, aut consumitur. *L. 5. §. 1. ff. de Extraordinar. cognit.* Sed de hac non agimus in præsentibus, sed de fama inter homines, quæ est secunda divisionis pars. Et est communis opinio, voce manifestata, solique vox populi dici, vel pica rei gestæ ut à *Baldo* nuncupatur: dicitur publica, quando jus, vel factum redditur per ipsam notorium, seu transit ad notitiam majoris partis communitatis quæ consistat in duabus ejus partibus; nam per duas partes Civitatis, vel Populi tota Civitas, vel Populus præsentatur. *L. 3. l. 4. ff. Quod cujusque univers. nom.* Sed licet tunc certò sit fama publicum, quando vel ad duas partes, vel ad majorem partem communitatis factum devenit, non tamen hoc necessariò requiritur, sed minus sufficit, aut aliquid fama publicum dicatur: quod quidem judicandum est respectivè, tum ad communitatem, tum ad personas, quæ sciunt, & creduntur, vel taciturnæ, vel leviter de hoc locutura, adeò ut aliqui putent, non esse fama publicum quod sciunt 30. viri graves, & taciturni. *Molin. Lug. & alii* dicunt, quod si communitas constat octo personis, factum esse fama notorium si 4. sciunt. Si 20. constat, quando 7. si 100. quando 15. si 1000. quando 20. vel 30. qui sint ex diversis domibus, sciunt. Item erit publicum, quando una platea vicina id sciat. Nam tunc est impossibile moraliter, quod celetur. Etiam censetur diffamatus in regno qui est infamatus in Curia, vel alio illustri loco, ex quo fama per totum regnum facillè vagetur. *Sic ex Molin. Lug. & aliis, Lacr. lib. 3. p. 2. n. 1219.* Sæpè fama apprimè depingitur à *Virgilio*, & *Ovidio*; sed à quonam elegantius non est facillè definire. Sic enim ille *lib. 4. Æneid.* *Fama malum, quo non aliud velocius ullum mobilitate viget, viresque acquirit eundo. Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ, tot vigiles oculi subter, (mirabile dictu) tot lingua, totidem ora sonant,*

nant, tot subrigit aures: tam sciti prævique tenax, quam nuntia veri. Sic etiam *Ovid. lib. 12. Metam.* ejus arcem describit: *Nocte, dieque patet, tota est ex ære sonanti, tota fermit, vocesque refert, iteratque quod audit: nulla quies intus, nullaque silentia parte: atria turba tenet: veniunt leve vulgus euntque. Mistaque cum viris passim commenta vagantur millia rumorum, confusaque verba voluntat: à quibus hi vacuas implent sermonibus aures: hi narrata ferunt aliò: mensuraque sciti, crescit, & auditis aliquid novus adjicit Autor. Illic credulitas, illic temerarius error, vanaque letitia est, consternatique timores, seditioque recens, dubioque autore susurri. Ipsa quid in cœlo rerum, pelagoque gerator, & tuliere videt: totumque inquiri in Orbem. Et licet sæpè, quin, & etiam à Poetis citatis, confundatur fama cum rumore, tamen in consideratione juridica differt ab eo: quia fama habet authorem certum, estque communis proclamatio, & crescit eundo. At verò rumor est proclamatio particularis, facillè deficit, nec habet authorem certum: ac proinde solum inducit suspensionem, & presumptionem levem. At verò fama, si oriatur à personis fidedignis, & gravibus; (nam orta à levibus, & suspectis non attenditur. *c. 24. de Accusation.*) potest in judicio allegari, & ab allegante probari debet, vel per privilegia, & instrumenta antiqua, si plura sint, & in eandem rem convenient, vel per litteras fidedignorum, vel per scripturas authenticas, vel per duos saltem testes juratos bonæ famæ, (non mulierculas, nec homines viles) qui deponant concorditè, se rem ita esse audivisse à potioribus de communitate: debent insuper testes suæ scientiæ rationem reddere aliquos nominando, à quibus audierunt, & à quibus fama originem duxit. *Arg. c. 27. de Testib. c. 24. de Accusat.* fama igitur in civilibus facit plenam probationem, quando res est modici præjudicii, vel quando agitur de peccato vitando, ut in matrimonio contrahendo, in quo timetur impedimentum dirimens. *Arg. c. 12. de Sponsalib.* vel quando factum est occultum, & difficultis, probationis. Sic si est fama communis aliquem in longinquis Regionibus decessisse, & abfuit ultra decem annos, sufficit, si hæres hoc probet, ut ejus hæreditatem assequatur. Si verò fama sit decessisse à modico tempore, ut quinquennio, vel minori spatio, & terra non sit valde distant, tunc debet mors illius plenè probari per duos testes, qui deponant, se illum*

mortuum, vel sepelliri viderisse. *L. 14. tit. 14. p. 3.* Etiam per testimonium Parochi illum sepelientis probatur illius mors: quia pro testimonio Notarii habetur. At verò in causis valde arduis tantum facit fama probationem semiplenam minorem: In aliis verò regularitèr semiplenam facit probationem, cui si alia semiplena adjungatur, plenè probat. *c. 27. de Testib. l. 3. §. 2. ff. Eod.* In criminalibus autem, etiam legitime probata, cum in his causis ob earum gravitatem, & præjudicium liquidissimæ probationes requirantur. *L. fin. C. h. t.* nec semiplenè probat, nec ad torturam sufficit: Sed tantum ut ad inquisitionem specialem diffamati procedatur. *c. 19. c. 24. de Accusat.* vel ad purgationem Canonicam indicendam. *c. 5. 2. q. 4.* & etiam ad incarcerationem personæ de fuga suspectæ.

TIT. XX.

De Testibus, & attestationibus.

148 **P**ræcipua, & frequentior probationis species est attestatio, seu *testium depositio*: Hæc enim validior, & major, quam ea quæ fit per instrumenta dicitur à *Memoch. de Arbitr. cas. 526.* Testes solent adhiberi in instrumento, vel in judicio, vel in testamento, & sic dicuntur *instrumentales, judiciales, & testamentarii.* Nunc de judicialibus tantum agendum est: *Testis ergo judicialis est personæ idonea, quæ legitime vocata testimonium dicit in judicio de aliqua re controversa.* Testes enim ex *c. 1. h. t.* debent esse idonei, id est non prohibiti testari. *Fideles* id est, fidedigni, & jejuni. Sed hoc solum ex honestate ob reverentiam juramenti. *Glos. in c. 1. h. t.* Et quidem omnes, qui specialitèr non prohibentur, possunt esse testes. *L. 1. §. 1. ff. h. t. l. 8. tit. 16. p. 3.* Et certè de jure naturæ quilibet rationis capax potest utique esse testis: nam hoc tantum de jure naturæ requiritur, ac proinde de jure naturæ inhabiles sunt ad testificandum infantes, furiosi, ebrii, mente capti, & alii hujusmodi. At verò de jure positivo ultra usum rationis debent testes habere contenta in his versibus, quos affert *Glos. in c. 2. h. t. V. Vilissimi.*

*Conditio, sexus, ætas, discretio, fama
Et fortuna, fides: in testibus ista requiruntur.*